



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 37. Petrus Versorius pro Jesuitis perorans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI. A.C. 1565. Patres novam Societatem stabiliunt contra prisca Synodorum decreta, nec non adversus Generale Concilium Romæ sub Innocentio III. Anno Domini millesimo ducentesimo decimo quarto celebratum, quod nova ejusmodi Instituta ad certos limites restringi præcepit, ne tumultus in Ordine Ecclesiastico suscitarentur. II. Hoc idem repugnat Aulæ decretis Cardinalium Nicæ jussu Pauli III congregatorum, aliorumque Præsulum consilio; hi enim novas Religiones admitti vetabant. III. Jam dudum Petrus Alliaccensis Cardinalis, Armachenus Archiepiscopus, Guilielmus de sancto Amore, & Joannes Gerson idem sentiebant. IV. Denique non minus æquitati, quam ordini contrariatur, quod unacum Universitate aliud Collegium ex extraneis conflatum, nec ab ea dependens, nullo pacto cum illa conjunctum tolleretur.

§. XXXVII.

Petrus Verforius pro Jesuitis perorans.

Postea inter celeberrimos Senatus Advocatos duo seligebantur, Stephanus Pasquierius, & Petrus Verforius, qui utrinque circa hanc causam perorabant, & quidem primus Universitatis

tatis causam defendebat, alter vero in Jesuitarum favorem perorabat: „itaque Verforius præprimis hæc exponebat: „cum ex naturæ imperio Serpentes toto „Veris tempore e suis speluncis tunc „primum progredi permittantur, dum „Fraxinus, quæ contra serpentum venena antidotum est, florere incipit, „hucque florem tunc primum emittente Autumno amittit, postquam iidem serpentes rursus ad suas cavernas sese receperunt, ita quoque æternæ Mentis consilio Deus Lutheri, ac „Calvini hæreses grassari non permittit, nisi dum in Ecclesia Societatem Jesu stabilierat, per quam hi Novatores debellarentur, nec divina providentia „hosce Socios multiplicare cessabit, donec ejusmodi hæreses penitus erint „extirpatæ: ut vero hanc Societatem „tam in suo ortu, quam progressu prodigiosam fuisse agnoscatur, „observandum venit, quod a Viro Bellico instituta fuerit. „ His præmissis Advocatus vitam, & historiam sancti Ignatii recenserebat, atque ejus conversionem, itinera & studia enarrans de primis, quos congregabat, sociis egit, simulque proposuit, quod Jerusalem peregrinari decrevisset, atque ab hoc proposito unice per bellum Turcas inter, & Venetos exortum præpedi-

Sæcul. XVI.
A. C. 1565.

Thuan. l. 37.
Argentre
pag. 349.

Sæcul. XVI.
A.C. 1565.

tus fuerit : postea edicebat, hujus Societatis Institutum fuisse a Paulo III. Papa confirmatum, primo nonnisi ad sexaginta Socios fuisse restrictum: insuper idem ipse, prout aliunde omnium oculis patebat, affirmabat, hos Patres, quamprimum hæc restrictio erat sublata, ad tantum numerum excrevisse, ut decimo quinto ab eorum institutione anno jamjam in novo, ac Veteri Orbe duodecim hujus Societatis Provinciæ fuerint erectæ: hos autem ad eo rapidos progressus unice adscribendos esse censuit Verforius magnæ utilitati, quam populi quoad prolium suarum institutionem exinde hauriebant; quinimo Verforius edicere audebat, nihil ab eo Ordine esse timendum, qui speciali voto Ecclesiasticis dignitatibus nuntium mitteret. His dictis ut suos Clientes ab innumeris, quibus in Francia, ac præcipue Parisiis petebantur, calumniis vindicaret, illos veluti Sanctorum congregationem deprædicabat, eorumque institutum cum pluribus aliis Religiosorum Ordinibus conferebat, qui in prima origine sua crebras adversitates tolerare cogebantur, unde Jesuitarum merita vel ex ipsis oppositionibus, quæ contra eos fierent, luculentius elucere asserebat. Denique ad privilegia ipsis a Pontificibus concessa transiens

fiens ea nullatenus Episcopis, Parochis, & Universitatibus esse noxia ostendit, omnesque provocavit, ut comprobatum redderet, quod Jesuitæ hinc privilegiis hucusque nunquam abusi essent.

Sæcul. XVI.
A. C. 1565.

§. XXXV. II.

Verforii responsa ad argumenta contra Societatis Institutum proposita.

Insuper ad omnia ea, quæ contra Societatis institutum aut objecta fuere, aut objici possent, respondit, porro cum primo opponeretur lex, qua interdictum, ne Collegia, ac novæ Religiones erigerentur, prout Lateranense, & Concilium Lugdunense prohibuerunt, ne ingens hæc diversitas confusionem in Ecclesia pariat, hinc Verforius ad hæc reposuit, quod hæc interdicta non nisi novos Ordines a Sacra Sede non approbatos respiciant, id ipsum autem in Jesuitarum Societate non occurreret, cum ea a summis Pontificibus, Concilio, Ecclesia Gallicana, Rege, Aula, Rectore, & Parisiensi urbe sit approbata. II. Objiciebatur, quod Jesuitarum, & Societatis Jesu nomen nimium fastum redoleat, imo offensionem pariat: respondit autem Verforius, quod absque ratione nonnulli exinde offendan-

Argentre
pag. 354.